

XXXII.*Anno 1198.*

Andreas, Dalmatiae et Croatiae Dux, regia auctoritate fungitur, atque suorum majorum, Geysae et Stephani Regum, dona, Archiepiscopatui Spalatino data, confirmat.

Ego Andreas Dei gratia Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Chulmaeque Dux, confirmo B. Domnio capellam S. Moysi & Sancti Stephani in Salona, cum omnibus ad eas pertinentibus in perpetuum, quas olim Patres nostri, videlicet Geyza Rex et Stephanus eidem Ecclesiae auctoritate Regia concesserunt, statuantes scilicet, ut non liceat alicui Bano, vel principi, seu cuilibet ministrorum nostrorum, hanc nostram confirmationis seriem infringere, vel ei ausu temerario contraire, aut ipsam Ecclesiam in aliquo aggravare, sive ejus jura diminuere. Qui autem aliter facere attemptaverit, iratum habeat trinum et unum Deum, et nostram indignationem incurrat. Anno Domini nostri Jesu Christi 1198. Bano existente Andrea, Georgio Tiniensi Episcopo, Michaelae Traguriensi Episcopo, Michaelae Scardonensi Episcopo, Matheo Corbaviensi Episcopo, Macharia Comite, Joseph Comite, Bea Comite. Hanc nostrae confirmationis paginam Petrus Ducis Aulae Cancellarius adnotavit, Praestaldo huius rei dato Vratislao filio Vratislai de Zagrabia.

Farlati. Illyricum Sacrum T. III. p. 228.

XXXIII.*Anno 1199.*

Andreas, Dalmatiae et Croatiae Dux, regio jure utens, urbis Spalati libertates jurejurando confirmat.

Ego Andreas Dei gratia Dalmatiae et Croatiae Dux, juro super sanctas reliquias vobis Spalati principibus firmam pacem et libertatem; mihi quoque aut filio aut successoribus meis tributarii ne sitis. Episcopum vero, aut Comitem, quem Clerus et populus elegerint, confirmabo; et lege, antiquitus consti-